

sint, aut non multo secus, earum summum bonum in corpore est: ut non inscite illud dictum videatur in sue, animam illi pecudi datam pro sale, ne putisceret.

Cap. XIV. Sunt autem bestiae quaedam, in quibus inest aliquid simile virtutis, ut in leonibus, in canibus, in equis: in quibus non corporum solum, ut in suis, sed etiam animorum aliqua ex parte motus quosdam videmus. In homine autem summa omnis animi est, et in animo rationis; ex qua virtus est, quae rationis absolutio definitur; quam etiam atque etiam explicandam putant. Earum etiam rerum, quas terra gignit, educatio quaedam et perfectio est, non dissimilis animantium. Itaque et vivere vitem et mori dicimus; arboremque, et novellam et vetulam, et vigere, et senescere. Ex quo non est alienum, ut animalibus, sic illis et apta quaedam ad naturam putare et aliena; earumque augendarum et alendarum quandam cultricem esse, quae sit scientia atque ars agricularum, quae circumcidat, amputet, erigat, extollat, adminiculetur, ut, quo natura ferat, eo possint ire: ut ipsae vites, si loqui possint, ita se tractandas tuendasque esse fateantur. Et nunc quidem, quod eam tueatur, ut de vite potissimum loquar, est id extrinsecus. In ipsa enim parum magna vis est, ut quam optime se habere possit, si nulla cultura adhibeatur. At vero si ad vitem sensus accesserit, ut appetitum quendam habeat, et per se ipsam moveatur, quid facturam putas? an ea, quae per vinitorem antea consequeretur, per se ipsam curabit? Sed videsne accessuram ei curam, ut sensus quoque suos, eorumque omnium appetitum, et, si qua sint ei membra adjuncta, tueatur? Sic ad illa, quae semper habuit, junget ea, quae postea accesserint: nec eundem finem habebit, quem cultor ejus habebat: sed volet secundum eam naturam, quae postea ei adjuncta sit, vivere. Ita similis erit et finis boni, atque antea fuerat, neque idem tamen. Non enim jam stirpis bonum quaeret, sed animalis.